

8929

1773, 18.

Q V A E S T I O
IVRIS C O N T R O V E R S I

A N

A C T I O N E C O M M O D A T I
D I R E C T A C O N V E N I A T V R R E C T E
C O M M O D A T A R I V S , C V I R E S
C O M M O D A T A E V I C T A E R A T .

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E

D . C H R I S T I A N O H E N R . B R E V N I N G

P R O F E S S . P U B L I C . O R D I N A R . I V R . N A T . E T G E N T .
E T S O C I E T A T . L I T E R A R . D V I S E V R G E N S .

S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O
D I E X I I . M A I I A N N O C I S I O C C L X X I I I .
D E F E N D E T
E R N E S T V S F R I D E R I C V S A N D R E A S K O E N I G
G E B S E E A - T H V R I N G .

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .





A N
ACTIONE COMMODATI DIRECTA
CONVENIATVR RECTE COMMODATARIVS,
CVI RES COMMODATA
EVICTA ERAT.

§. I.

Res non proprias, sed alienas, cum inter titulos ad transferendum dominium habiles referri nequeat commodati contractus, valide commodari posse teste P A V L O in L. 15. π. commodati scribente:

Commodare etiam possumus alienam rem, quam possidemus: tametsi scientes, alienam possidemus, certum est. Hinc MARCELLVS in L. 16. π. eod. adeo furi atque praedoni, qui furtiuam

vi

vique erexit rem alteri commodauerat, commodati actionem concessit, et recte, quippe exceptio rei furtuae intuitu commodatarii esset de iure tertii. Quapropter si rem alienam alteri commodaueris, isque commodatarius recuset finito viu rem commodatam restituere, quasi eam domino, a quo tamen commodatam haud acceperat, sit restituturus, conuentus commodati directa actione ad rei commodatae restitutionem condemnabitur. Neque hoc domino nocet, quippe huic contra comodantem semper salua erit rei vindicatio.

§. II.

Anvero a commodatario vindicari possit, quaeritur. V. L. PIANVS in L. 9. π. de rei vindic. veterum ICtorum dubitationis et maxime Pegasi mentionem facit. Scribit: *Denique ait. sc. Pegasus ab eo, apud quem deposita est, vel commodata, vel qui conducterit, aut qui legatorum seruandorum causa, vel dotis, ventrisque nomine in possessione esset, vel cui damni infecti nomine non cauebatur, quia omnes, hi non possident, vindicari non posse.* *Puto autem ab omnibus, qui tenent, et habent restituendi facultatem, peti posse.* Quamuis enim commodatarius animum sibi rem habendi haud habebat, sed utendi causa teneat; tamen vindicaturi nulla est obligatio, ut prius examinet, quo animo, quoque praetextu alter suam rem habeat: Satis est, ubi quis suam inuenit rem, ab eo vindicat. At posse se a litis necessitate commodatarii liberare, si a vero domino tanquam possessor conueniatur, certum est. Nam si declarauerit, se non possessorem esse, seu, se non tenere animo sibi habendi, sed saltē detentorem esse, atque si autorem nominauerit, cuius nomine possideat, debet, dimiti, atque vindicationis lis instituenda est contra nominatum autorem. Hic enim corpore rem vindicandam non possidet, at ciuiliter tamen pro possessore

§. III.

habetur, quod expresse testatur **POMPONIUS** in *L.* 8. 2, *Commod. Rei*, inquit, *commodatae et possessionem et proprietatem retinimus*; cuius causa **VLPIANVS** in *Leg. 9. eod.* in eo ponit, *quod nemo, commodando rem, faciat eius, cui commodat.*

§. III.

At si contingat, ut quis a commodatario rem vindicer, hic negligat nominationm sui autoris, nec se ea liberat a lite, sed potius litem contestando, quasi se liti obtulisset, pro posse fuisse sicut habetur, neget vero vindicanti dominium, hic postea probet dominium, atque commodatarius condemnatur ad restituendam rem commodatam, cuius restitutionem cum decretet auxilio iudicis, res commodata eripitur, dominoque vindicantib[us] traditur. An commodans rem commodatam repetere non possit ab commodatario, et *an eum commodati actione directa conuenire nequeat, ob exceptionem quasi res commodata a vero domino ei[us]c[em]a sit, quaeritur.*

§. IV.

Facile patet, si commodatarius conueniatur a domino euincente rem suam, quae forsitan non domino commodata erat, isque commodatarius autorem nominauerit, atque ex lite dismissus, postea vero quam commodans condemnatus fuerat ad rem restituendam, quod alter dominium rite probauerit, iussu indicis commodatario impositum erat, commodatam rem restituere domino, haud commodanti, isque paruisset ius dicenti: tunc a commodante conueniri non posse actione commodati directa commodatarium, quippe rem commodatam amplius nec tener citra suam culpam. Vbi vero nulla com-

❖ ❖ ❖

modatarii interuenit culpa, conueniri nequit, quod expresse concludi potest ex VLPIANO in L. 5. §. 4. π. commodat. Ait: *Quod senectute contigit, vel morte, vel vi latronum creptum est, aut QVID SIMILE ACCIDIT: dicendum est, nihil eorum esse imputandum ei, qui commodatum accepit, nisi aliqua culpa interueniat.* Iam vero ei, qui prius nominauerat autorem, et postea jussu iudicis restituit, ob iudicatum, cum ipse autor condemnatus fuerat, nulla culpa imputanda est, is nunquam poterit a commodante conueniri.

Contra, si commodatarius rem commodatam teneat, et conueniatur a domino euincere, commodans vero absens sit, et ubi sit, ignoretur, neque adsit alius, qui commodantem defendat, et defensorio nomine commodatarius item suscipere debeat, quasi rem commodantis nomine possideat, atque vindicans rem commodatam obtinuerit probato suo dominio, et ex iudicato ad restituendam domino rem condemnatus sit commodatarius, utrum, si redux sit commodans, atque conuenire velit commodati actione commodatarium, quod restituere non possit commodatam rem, audiendus fit commodans, an vero se exceptione defendere possit commodatarius, quod rem ex iussu iudicis amplius non possidet citra suam culpat. Et magis est, non posse commodati drecta actione conueniri commodatarium, quippe nec hac specie eidem culpa aliqua tribuenda sit. Cum enim absens fuerit commodans, et ubi sit, commodatarius ignorauerit, neque autorem laudando se a vindicatione liberare potuerit, sed potius iudicium suscipere debuerit; sibi imputare debet commodans, quod procuratorem non constituerit. Satis, quod a commodatario, quantum poterat, defensus erat.

Et

Et cum ad defendenda commodantis iura non tenetur **commodatio-**
datarius, sed ad rei **commodatae** tantum custodiam, haec
 vero ex iudicis autoritate ei erpta est, cum nihil culpae **com-**
modarius ferat, destituitur **commodans** idoneo funda-
 mento, ut contra **commodatarium** agat directa **commodati**
 actione.

§. IV.

At tandem, si dominus rem vindicaturus a possessore, **rei**
vindicationem instituat contra **commodatarium**, isque autorem
 haud nominet, cum posset se a lite excusare, imo potius li-
 tem suscipiat, atque damnatus probato dominio ad extradendam
 rem **commodatam** domino vindicanti, restituat, an ethic
 conueniri nequeat a **commodante**, quaeritur. Et puto **con-**
 ueniendum esse recte **commodatarium**. Nam cum illi offici-
 um non esset impositum, ut defenderet **commodantem** imo
 potius teneretur laudare **attorem**, quo is iustis exceptionibus
 se posset defendere contra **vindicantem**, quas vero exceptiones
 ignorare poterat **commodarius**, culpa eidem imputanda est.
 Et cum leges omnem in **commodatario** requirant diligentiam,
 quam diligentissimus parter familias adhibitus est in rebus
 suis, et tantum a casu praestando liberent teste **G A I O** in **L. 18.**
pr. π. commodat. culpa autem omnino imputanda **commodatario**,
 quod iudicium de re **commodata** suscepit, a quo se nomina-
 to autore liberare potuisset; dubitandum non est, directo iudi-
 cio conueniri posse, non quidem, ut rem ipsam restituat, quam
 amplius non tenet, sed quanti intersit, rem non restitui posse.
 Quare **V L P I A N V** in **L. 3. §. 2. π. commodat.** recte adserit:
in hac actione sicut in ceteris bonae fidei iudiciis, similiter in item iu-
rabitur



rabitur, et rei iudicandae tempus, quanti res sit, obseruatur. Non ergo se poterit defendere exceptione iudicati: quippe sua negligentia iudicati culpam fert. Poterat enim iudicatum euitare, si laudasset autorem.

A large, ornate initial 'Q' from a historical manuscript. The initial is intricately detailed with fine lines and shading, featuring a central floral motif surrounded by acanthus leaves and delicate flowers. Below the main initial, there is a smaller, circular decorative element containing a floral wreath.

ULB Halle

004 758 501

3



5b

B.I.G.



8929
1773, 18.
Q V A E S T I O
IVRIS CONTROVERSI
A N
**ACTIONE COMMODATI
DIRECTA CONVENIATVR RECTE
COMMODATARIVS, CVI RES
COMMODATA EVICTA ERAT.**
Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.
S O C I O
I N A V D I T O R I O P E T R I N O
DIE XII. MAII ANNO C I S I O C C L X X I I I .
D E F E N D E T
ERNESTVS FRIDERICVS ANDREAS KOENIG
GERSEEA - THVRING.
L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.